



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij Francisci Lamberti Auenionensis

Lambert, François

Argentorati, 1525

VD16 B 3868

Pars Prima. Primo, de eo quòd Ionas fuit deglutitus à ceto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35983

COMMENTARI: CAPVT II. 117

Et oculi **DOMINI** respiciunt fidem, Hieremia quinto.
Quod autem fidem laudamus, non damnamus opera ex
fide, sed illa uolumus. Ergo in magno casu positus, pete
auxilium **Domini** in fide, decernens te facturum tota ui-
ta tua, quicquid **Dei** uerbo faciendum, aut dimittendum
agnoueris. **Q**uod si pleno corde feceris, indubie exaudie-
ris à **Domino**. Mox autem ut fueris liberatus, uide, ne
ullam **Dei** iustionem spernas. **L**ege scripta **Dei**,
aterrantur sacra **Biblia** manibus tuis, in eis-
q; die ac nocte mediteris, ut facias
ea, & bene tibi erit.

CAPVT SECVNDVM.

Summarium capituli. **P**rimo, de eo quod **Ionas** fuit de-
glutitus à ceto. **S**ecundo, ponitur canticum eius
in uentre piscis adhuc existentis. **T**ertio,
quod **Domino** præcipiente, piscis
uomuit **IONAM** in
aridam.

PARS PRIMA.

Et preparauit **Domini** piscem gran-
dem, ut deglutiret **IONAM**. **E**t erat
IONAS in uentre piscis, tribus die-
bus, &

FRANC. LAMB. IN IONAM

bus, & tribus noctibus.

In signis protectio Dei, qua iuuuit & seruauit Ionam,
in uentre piscis. Quia enim uniuersorum Dominus
est, fecit ut piscis fieret seruo suo carceris habitaculum,
quia contradixerat imperio suo. **O** factum admirabile,
quo ueris fidelibus, exemplum diuinæ miserationis, &
quàm tutum sit illi fidere, exhibetur. **V**bique potest ser-
uare Deus. Quàm ergo tutares est, fidere illi, & spera-
re in eum. Quis audiuit à seculo rem talem, uentrem ce-
ti fieri domicilium hominis? Sed ita uoluit Deus, facere
cum seruo suo, etiam rebeli, & non adquiescenti, fecitq;
ui ipsa percussio esset, & ipsi Prophetae, & toti orbi, in
grande miraculum. Quàm bonus Israël Deus. Fidant
ergo illi uniuersi, & in tribulatione ac periculo quantum
libet graui positi, huius facti recordentur, nec dubitent e-
um seruare nos posse inter quaecunque pericula, qui etiam
in uentre piscis & corde maris, tribus diebus ac noctibus,
Ionam uiuum seruauit. **O**bseruent quàm potens est impe-
rare creaturis. **P**ræcepit namq; ceto, & deuorauit Ionam,
non masticandum, non digerendum in substantiam suam,
sed custodiendum, donec præciperet diuersum, & euo-
meret saluum, quem deglutierat. **I**n te solum Domine spes
mea est, quod & solus sis, bonus, potens, fidelis, & uerax.
Serua in diebus tribulationis & crucis electos tuos, & se-
men eorum, qui seruum tuum Ionam tanto miraculo ser-
uasti

COMMENTAR. CAPVT II. 118

Uasti. Et noli respicere ad iniquitates nostras, qui ideo lo-
nam minime perdidisti, quod tibi iubenti non adqueuerit.

Habes hic insignem locum, quo Ionas Domini **IESV**
Christi typum gerit. Sed de his, in libro allegoriarum huc
adiecto, nonnihil adijciemus.

P A R S S E C V N D A.

Et orauit Ionas ad dominum Deum suum,
de utero piscis, & dixit:

Clamaui de tribulatione mea ad dominum,
& exaudiuit me.

De uentre inferi clamaui, & exaudisti uo-
cem meam.

Et proiecisti me in profundum, in corde ma-
ris, & flumen circumdedit me.

Omnes gurgites tui, & fluctus tui, super
me transierunt, & ego dixi:

Abiectus sum a conspectu oculorum tuo-
rum, ueruntamen rursus uidebo templum
sanctum tuum.

Circūdederūt me aquæ usq; ad animam
abyssus uallauit me: pelagus operuit caput
meum.

Ad extrema montium descendi, terræ ues-
tes concluderunt me in aeternum.

Et